CONSTITUTIONES
CLERICORUM SÆCULARIUM
in Communi
VIVENTIUM.
A Sanctiſſ: D. Noſtro
Innocentio XI.
Stæbilitæ
Uſui Cleri Sæcularis
ANGLICANI:
Pro Temporum Circumſtantijs
ACCOMMODATÆ
Et a Reverendiſſ: D. D. Epiſcopis
Approbatæ.

Anno Domini 1697.

CONSTITUTIONES

CAMERARIAE SECULARIAE

CAMERARIAE

VIVENTIUM

A Sanctiss: D. Nostro

Innocentio XI.

Sublitae

Usui Cleri Saecularis

ANGLICANI

Pro Temporum Circumstantijs

ACCOMMODATAE

Et a Reverendiss: D. D. Episcopis

Approbatae.

Anno Domini 1697.

70-1748

Præfatio ad Lectorem.

CUM *Institutum Clericorum in Communi Viventium, a S. Sede Apostolica Pluribus Principibus tum Ecclesiasticis tum Secularibus, id enixe postulantibus, approbatum; et ab Em. Card. de Norfolcia, ut imprimis utile ad divini cultus amplificationem, Clero Anglicano litteris pastoralibus commendatum fuerit: pij aliquot Sacerdotes gravissima Dictorum Præsulum Autoritate, tum rei utilitate permoti, approbantibus R. R. Episcopis nostris tam Salubre consilium amplexi sunt. Et cum a biennio numerus Sociorum dicti Instituti ultra spem omnem excreverit, abs re sua fore existimarunt, Regulas hasce ex Bulla S. S. D. nostri, Innocentij Papæ* XI. *excerptas prælo mandare, paucis adjectis et mutatis pro rerum et locorum varietate. Et sane nemini dubium esse potest, quin si hoc Institutum ab Antecessoribus nostris cultum fuisset, res Cleri hodierna die omnino meliore in loco essent. Quare socij prædicti Instituti imprimis Honorem Dei, deinde Cleri totius utilitatem sincere et ex animis spectantes, se suaque omnia ad hos præclaros fines consequendos devovere statuerunt. Quam suam Intentionem omnibus probatum et manifestam fore non dubitant, qui subjectas Constitutiones candide, et attente per*

a *lustraverint*

lustraverint quippe quæ ad Spiritum Ecclesiasticum, et ad publicum formandum et fovendum omnino aptissimæ sunt. Nemini ergo grave, nemini injuriosum videri debet præsens Institutum, quod in totius Cleri, Singulorum que membrorum ejus commoda susceptum est. Si quis autem vult contentiosus esse, Socij hujus Instituti talem consuetudinem non habent, nec, uti sperandum est, unquam habebunt: Sed cum omnibus Hominibus, quantum in ipsis est, pacem habentes, cui honorem, honorem, cui obedientiam, obedientiam, cui auxilium, auxilium, denique omnibus ex Clero Fratribus perfectum amorem, et perpetuam benevolentiam semper et ubique impendere statuerunt. Porro hæc basis est, et inviolabile Fundamentum hujus Societatis, ut omni prorsus exemptione secluſa, et excusatione sepoſita cuncti Socij Episcopis, cæteris Superioribus Ecclesiastica Jurisdictione fruentibus perfectam obedientiam perpetuo præstare debeant. Cum igitur ejusmodi sit præsens Institutum, confidimus in Domino, illud omnibus qui zelum Dei habent et in Clerum benevolentiam, probatum fore, et subjectas Regulas maxima ex parte ex Bulla Innocentij Papæ XI. assumptas tum propter tanti Pontificis Autoritatem, tum propter disciplinæ, quam præse ferunt Sanctitatem, pijs et bonæ voluntatis hominibus gratas futuras.

CON-

CONSTITUTIONES Clericorum Sæcularium In Communi Viventium

PROÆMIUM.

FInis hujus vitæ Clericalis non est novam Religionem introducere, sed ipsummet statum Clericalem Sub immediata R. R. D. D. Ordinariorum potestate omni prorsus exemptione secluſa purè amplecti. Quatuor autum sunt puncta principalia, & velut fundamenta hujus Instituti: Nimirum Communitas bonorum Ecclesiasticorum: Separatio a mulieribus: Fraterna cohabitatio trium vel plurium Clericorum in eadem domo: Et demum perfecta obedientia Ordinariæ potestati Episcoporum.

Hæc quatuor puncta basis sunt & fundamentum hujus Instituti, ac pro-

inde ſemper ſancta & indiſpenſabilia eſſe debent. Quare nec Superiores nec tota ſimul Communitas proteſtatem habebit diſpenſandi cum omnibus, vel ſingulis, hujus vitæ clericalis ſocijs, ſuper omnibus, vel uno, ex dictis fundamentalibus, ubi commodè pro temporis & loci ratione obſervari poſſunt, & ſemper neceſſariò obſervanda ſunt, ubi ſuperiores, juxta Conſtitutiones infra poſitas, obſervari poſſe judicabunt.

Cæterum conſtitutiones hujus vitæ clericalis in ſeptem partes Præcipuè dividuntur. Prima eſt de cura propriæ ſalutis. Secunda de Communitate Bonorum. Tertia de Fraterna cohabitatione. Quarta de ſeparatione a mulieribus. Quinta de obedientia. Sexta de cura animarum. Septima de mutuo adjutorio.

CAPUT. I.

De cura propriæ Salutis.

CUra propriæ ſalutis optimum medium eſt ad procuraudum alie-

alienam. Cui ſacerdotes hujus Inſtituti ſe totos devovere debent. Quare ſtudeant præcipuè per fidem, & bona opera ſeipſos ſanctificare et alios ædificare. Cum æternæ ſalutis via exemplis efficacius quam verbis monſtretur. Unde ſpecialiter ad nos pertinet illud Apoſtoli: In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum.

2.

Per rectam intentionem in omnibus ſuis actionibus ſincerè gloriam Creatoris ſui ſpectent, curentque quantum in ſe erit, non ſolum ſeipſos, verum etiam omnes alios, ad ſerviendum divinæ Majeſtati excitare, propter ipſammet, et propter nimiam Charitatem, qua prior dilexit nos: neque ulla in re ſeipſos quærant, ſed in omnibus creaturis quemadmodum, et in ſemetipſis, creatorem ſuum, et omnes in illo diligant.

3.

Unusquiſque perſpectas habeat animi ſui propenſiones, et anteverterе noverit tentationes, opponendo

ipsis remedia, quæ quivis sibi cum Divina gratia comparare, & in promptu habere laborabit, inflectendo se ad ea, quæ sunt contraria peccatis, et profectui spiritus conducunt.

4.

Ad omnes virtutes solidas hominis interioris maximè enitantur hujus Instituti sacerdotes, quales sunt pietas in Deum, charitas in proximos, patientia, humilitas, Castitas, timor Domini. Has igitur & similes virtutes, ut adipiscantur, et obtentas conservent, diligens cura quotidiana exercitatio adhibenda est.

5.

Ad majorem in spiritu profectum, aut saltem ad necessariam illius conservationem, omnes quotidie in meditationem per mediam saltem horam incumbant; qua seipsos excitent adjuvante Dei gratiâ, ad currendam viam Domini, cum fervore Fidei & pietatis: defectus suos explorent, et emendent aliquam quoque piam lectionem pro temporis & loci opportunitate, nullo die omittant.

6.

6.

Aveant omnes quotidie celebrare, et ita vivere, ut dignè celebrare possint. Id circo summo studio conentur Conscientiam suam ab omni etiam minima labecula mundum servare mortalem culpam plusquam faciem colubri formidantes. In hunc finem ad minimum semel in quindecim diebus peccata sua confitebuntur; idque alias toties facient, quoties necesse fuerit, et quotidiana tantorum mysteriorum tractatio requisierit.

7.

Post sacrum peractum, pro quarta parte horæ meditationi, vel piæ orationi insistant, ut non statim a Cœlestibus mysterijs ad terrena negotia transeant. Ad vesperam litanias cum precibus adjunctis recitent. Consulendum est omnibus, ut semel quolibet anno, per aliquot dies exercitijs spiritualibus vacent, quibus spiritus fervore concepto, alacrius, quæ sui sunt muneris, exequantur, et Conscientiæ puritatem renovent.

8.

Nemo domos, publicas compotandi aut ludendi gratiâ frequentet, aut ibidem aleis chartisvè ludere præsumat.

9

Non solum æquo animo accipiant, si, ad majorem in virtutibus progressum, proprij defectus ipsis a superioribus fuerint intimati, verùm etiam ad aliorum correctionem viam sternant. Quare si quis grave delictum, vel ejus periculum in altero notaverit, de hoc superiorem fideliter moneat, vel saltem de super interrogatus veritatem aperiat,

CAPUT. II.

De Communitate Bonorum.

10.

COmmunitas Bonorum hujus vitæ Clericos obligat, ut redditus suos Ecclesiasticos, quocunque titulo obvenientes, quorum tamen libera dispositio ad ipsos de jure pertinet, in Communes pios usus conferant, collatione stabili, in vita et post mortem duraturâ (salvis juribus sanctæ sedis

ſedis Apoſtolicæ & R. R. D. D. Ordinariorum) quam eo ipſo facere cenſentur, dum communi huic vitæ ſe aggregant. Hanc porrô Communitatem Bonorum, eô ardentiûs coli decet, quod Chriſtus Dominus cum Apoſtolis ſuis eam tenuerit, in Eccleſia dei diu viguerit, et ſacri Canones tam ſanctè ad eam hortentur. Igitur in authorem vitæ Jeſum Chriſtum jugiter reſpiciant, et memores ſe ad vendicandum veram libertatem filiorum dei, ad adipiſcendas divitias gloriæ ejus, totum theſaurum ſuum in cruce domini ſuſpendiſſe, laborent omnem affectum, et inordinatam animi ſollicitudinem erga res temporales, ſic extirpare, ut ſolus Chriſtus crucifixus velut ſummum bonum, unius cujuſque præcordia abundanter impleat.

II.

Redditus autem Eccleſiaſticos eos eſſe intelligimus pro temporis præſentis circumſtantijs, quicquid gratis accipimus datum, vel quoquo modo lucramur intuitu cujuſcunque actus

Sacri, vel laboris impensi in exercitio nostri muneris, & officij, sive pensio annua sit, vel pro vita; sive munera, eleemosynæ, et similia cujuscunque generis pretio æstimabilia.

12.

Volumus autem ea tantum bona, sub hac Communitate cadere quæ quisque lucrabitur dictis modis post susceptum hoc Institutum: de quibus bonis sinceram rationem reddere omnes, & singuli tenebuntur etiam superiores. Non autem necesse erit ut singuli socij hujus Communitatis rationes suas ita particulariter instituant, ut omnes expensæ & receptus singulariter & specificè exprimantur: sed sufficiet si summam generalem expensarum et receptuum annuatim suo Oeconomo transmittant. Ad quam tamen ritè instituendam, consulitur omnibus, ut specialem expensarum et receptuum rationem apud se descriptam habeant.

13.

Bona Communitatis in una provincia, districtu, vel Diœcesi in eadem appli-

applicari debent: nec poſſunt per ſe loquendo, etiam pro parte aliqua, transferri. In caſu extraordinario, ubi, ob gravem neceſſitatem, Chriſtiana Charitas ſuadet, ut alijs membris Hujus Inſtituti, ad bonum Eccleſiæ Catholicæ ſuccurratur, ordinatio fiet a Præſide Diœceſis, cum conſilio ſuperiorum ex una parte, ex altera parte a Præſide Nationali. Quod ſi rei gravitas poſtulet, Reverendiſſimo quoque Ordinario loci deſuper referendum erit, ut cum ejuſdem præſcitu, et conſenſu ad evitandas quaſcunque ſuſpiciones, res tota peragatur.

14.

Non intendimus deſtruere, quæ ſalubriter ædificata ſunt ſed ædificata perficere. Et ideò ſi qui ex noſtris adſcripti fuerint alijs corporibus, ut Capitulo, vel alicui fundo cujuſcunque provinciæ, eas contributiones pro ſuis partibus facient, quas communiter alia membra earundem ſocietatum cenſentur debere facere. Imo ſi quis ex noſtris nondum ad ſcriptus ſit ſocietati iſtius provinciæ,

in qua commoratur, non vetamus, sed adhortamur, ut eidem quam primum adscribi velit: et eos sumptus facere illi licebit, quos legis istius societatis requirunt.

15.

Qui parentes, fratres & sorores in necessitate constitutos habent œconomiam suam ita instituant, & vivant, ut eos charitativè juvare possint.

16.

Eleemosynæ ex bonis huic Communitati obligatis, a sociis juxta leges Christianæ Charitatis, et juxta dictamen prudentiæ fieri possunt, et debent: specialiter tamen suadetur, ut parochianis suis indigentibus, pro ratione reddituum suorum benignè subvenire studeant.

17.

Donationes Parochiæ, cui quis deservijt, vel parentibus, fratribus & sororibus, præsertim indigentibus, fieri possunt: munuscula quoque ex gratitudine, vel amicitia tribui, tam in vita quam in morte: modo non sint contra sacros Ecclesiæ Canones

nes bonorum Eccleſiaſticorum ad miniſtrationem concernentes. Ea tamen fieri debent, cum permiſſione et conſenſu Præſidis Diœceſis, vel territorij: ita ut juxta ratihabitionem ejuſdem valere debeant. Superioribus verò ejusmodi denegare, vel immutare non licebit, niſi manifeſtè videant, adhibito conſilio aliorum, aut habita etiam in re gravi, ſententia Rſſi. D. Epiſcopi, quod irrationabiliter ea facta ſint. Caveant autem Superiores, ne in colligendis bonis a defuncto relictis, difficiles ſe præbeant: ſed ita in omnibus ſe gerant, ut omnis avaritiæ ſuſpicio vitetur.

18.

Non decet filios immemores eſſe parentum: Et ideo ne duo Collegia Duacenum & Ulliſſiponenſe, matres noſtræ, detrimentum accipiant, ex hac Communitate Bonorum, et fraudentur pijs legatis filiorum ſuorum: volumus ut ex pecunijs, quæ derelictæ erunt a quocunque ſacerdote dictorum Collegiorum, decimæ fide-

fideliter et sine ulla diminutione solvantur isti Collegio, cujus Alumnus et sacerdos fuerit dictus defunctus, nisi alias donaverit, aut legaverit dicto Collegio valorem decimarum suarum: In quo casu dictæ decimæ non solventur, et si pecunia sic donata, vel legata, fuerit ex bonis patrimonialibus.

19

Legata, et donationes quæ ipsismet membris hujus Instituti ab alijs fiant, intuitu officij, vel cujuscunque respectus ad statum Clericalem, aut quodcunque officium, spectant ad bona huic Communitati obligata: quæ vero dantur intuitu Consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ mere naturalis, bonis patrimonialibus annumerantur. In casu dubio donationis factæ, standum juri Communi, hac tamen lege, ut si a consanguineis, et affinibus usque ad quartum gradum inclusivè donationes fiant, eæ censeantur factæ personis: in cæteris vero casibus dubijs censeantur factæ intuitu Instituti, sive officij.

20

20

Si Reverendiſſimi Ordinarij locorum ratiocinia a ſuperioribus petant: id juxta Conſtitutiones hujus Inſtituti fiat: ita tamen, ut nihil de bonis Inſtituti in Commune Collatis alienare, vel ad alios uſus convertere poſſint, vel ullis omninò oneribus gravare.

21

Cum bona Communitatis juxta Superius dicta Conſtit. 13. ab uno diſtrictu, provincia, vel diœceſi in aliam transferri non poſſint: ideo nulla maſſa Communis totius Inſtituti in toto Regno conſtitui poteſt. Unde Præſes nationalis non niſi particularem habebit. Caſu autem quod per patroni alicujus diſpoſitionem, toti Inſtituto aliquid concederetur, ſine ordine ad certam diœceſim, præſidis nationalis officium erit, cum ſuo œconomo curam hujus habere, & operam dare, ut meliori modo quo poteſt, juxta finem hujus inſtituti de eo diſponatur. Quamvis autem bona alicujus Diœceſis vel deſtrictus transferri nunquam, per ſe, poſſint de una diœceſi

diœceſi vel diſtrictu in alium, poterit tamen Præſes Nationalis, cum neceſſitas exegerit, Præſidibus Diœceſanis ſubſidium ex Charitate poſtulare: illi vero eas contributiones faciant, quas de conſilio ſuorum ſe commode facere poſſe ex Charitate judicaverint. Id enim mutui officij erit omnibus hujus Inſtituti Superioribus commune, & tanquam vinculum Charitatis.

22

Oeconomi particulares Semper parati erunt reddere rationem omnium bonorum Communitatis Oeconomo præſidis Diœceſani; Oeconomi vero Diœceſani Oeconomo Præſidis Nationalis: ut facile diſcerni poſſit quantum Bonorum Communium ſit in manibus omnium ſociorum hujus Inſtituti.

CAPUT. III.

De Fraterna Cohabitatione.

23

NEceſſe eſt religioſa etiam corda, dum in mundo ſunt, de mundano pul-

pulvere ſordeſcere; et flebili experimento compertum eſt pios etiam viros, per converſationem Sæcularem, Sæculares fieri. Unde nihil magis optandum, quam ut poſſint hujus Inſtituti ſacerdotes bini vel terni ſimul habitare, remoti a conſuetudine quotidiana laicorum. Sed cum nec tempora, nec noſtrarum rerum ſtatus, hoc ullo modo permittat, cedendum eſt præſenti neceſſitati. Hoc interim firmiter ſtatuendum eſt, et identidem cogitandum, nihil ſanctius, aut ſtabilius in hoc Inſtituto nobis eſſe debere, hac Fraterna Cohabitatione, ad quam nos itaque indiſpenſabiliter, ubi et quandocunque dabitur locus, et opportunitas obſtrictos cenſemus, et in nos ſuſcipimus velle prompte obedire ſuperiorum voluntati, quandocunque eis videbitur hoc omnibus, vel pluribus, vel ſaltem aliquibus imponere. Quæ Fraterna Cohabitatio in hoc conſiſtit; ut duo, tres, vel plures Clerici pro locorum opportunitate eadem in domo, et menſa Communi,

CAPUT. IV.

De Separatione a Mulieribus.

27.

CUM Sacerdotes quotidianum Chriſti Domini receptaculum ſint, arctiſſimam caſtitatis cuſtodiam omnes habebunt, enitendo Angelicam puritatem imitari: ad quam obtinendam portas ſenſuum occludere, & privata cum mulieribus commercia, ex quibus, aut occaſio peccandi, aut ſcandalum merito oriri poſſit, diligentiſſimè fugiant. Quare nullæ mulieres in eadem domo cum his Sacerdotibus in propria habitatione communiter viventibus habitent: Sed, quantum fieri poteſt in adminiſtratione domus operâ virorum utantur. Si tamen aliqua neceſſitas mulierum famulatum requirat: matres vel ſorores, ſi haberi poſſint, vel ſaltem tales ſuſcipiantur, quas vitæ morumque honeſtas commendat. Porrò Superiorum cura erit eam methodum in ſingulis locis deligere, et clericis coha-

cohabitantibus ſtatuere, quæ ad finem hac conſtitutione propoſitum efficaciter conſequendum, ſpectatis rerum circumſtantijs, maximè idonea videbitur: eamque obſervare ſocij cohabitantes in omni loco tenebuntur.

CAPUT. V.

De Obedientia.

28.

VIam regiam Sanctæ illius obedientiæ omnes teneant quam locorum Ordinarijs exhibere Clerici Sæculares Communiter tenentur quemadmodum hæc vita Clericalis ab origine ſui, ſine exemptione, illorum juriſdictioni ſe ſubjiciens ſanctè ſervavit, et ſervare deinceps perpetuo debebit. Quare eo ipſo, quod aliquis huic Inſtituto aggregetur, prædictam obedientiam ſancte promittere cenſetur Reverendiſſimis Epiſcopis noſtris et eorum ſucceſſoribus, omni exemptione ſecluſâ. Sublatis autem Epiſcopis, Canonicam obedientiam ijs ſuperioribus promittet, ad quos ordi-

ordinaria jurisdictio pro tempore pertinebit.

29.

In obtinendis, et retinendis residentijs, quæ a Reverendissimi Episcopi authoritate & patronorum voluntate, pendere debent, non suum proprium arbitrium & commodum spectabunt, sed promptum et paratum habebunt animum, illud semper faciendi, quod melius in domino superioribus videbitur, cum consensu Reverendissimi Episcopi loci, cui hac in re superiores perfectam obedientiam præstabunt.

30.

Si præceptum Reverendissimi. D. Ordinarij & præceptum cujus cunque Superioris hujus Instituti contrarientur, circa rem vel personam quamcunque, quatenus subditam Jurisdictioni ordinariæ, prævalebit præceptum Episcopi, & ipse Superior præceptum suum revocare tenebitur.

31.

Secundum subordinationem Superioritatis, et inferioritatis, unusquisque

que in conversatione sua, vel officio, ab alio se dirigi patiatur. Si quis tamen irrationabili gravetur imperio, ad Superiorem recurrat, qui pro sua discretione in Domino remedium afferet.

32.

Si quando quisquam a suo immediato superiore indebitè gravetur, et Superior humiliter rogatus, remedium afferre nolit: in eo casu ad mediatum, et altiorem Superiorem res deferri poterit, servandus tamen erit in ejusmodi recursu debitus ordo, ut, sine speciali causa, ab infimo Superiore, omisso medio, ad Supremum non recurratur. Ordo autem Superiorum hujus Instituti in hoc regno existentium, ab infimo ad Supremum, in quatuor gradibus consistit. In primo sunt Superiores cujusque loci particularis: in secundo Superior alicujus districtus aut provinciæ, juxta divisiones faciendas, et Oeconomus, in tertio Præses Dioecesanus & Oeconomus. In quarto Præses Nationalis & Oeconomus.

33.

33.

Quod si contingat aliquam difficultatem oriri, quæ servato prædicto ad superiores recursu, non terminetur: decisio talis difficultatis, juxta hujus Instituti Constitutiones, et sacros Canones, reguletur a Reverendissimo D. Ordinario Diœcesis in qua ejus modi difficultas occurrit.

34.

Maximè caveant omnes murmura & factiones contra Superiorum dispositiones excitare. Hæc enim totum corpus Communitatis enervant, et veluti pestis, inficiunt mortifero veneno.

CAPUT. VI.

De Cura animarum.

35.

SAcerdotes hujus Instituti singulari industria curam animarum exercebunt et quidem ea ferventi charitate, ac sollicitudine ut neque in verbo neque in opere, aut exemplo bono, aliquid desideretur, quod ad ovi-

oviculas ſibi concreditas, etiam cum extremo vitæ periculo, ritè paſcendas, conducere poſſit.

36.

Sacramentorum adminiſtrationem, ſacrarumque Cæremoniarum functiones cum decenti gravitate, et veneratione peragant. Ritus etiam ubique illos obſervent, quos Romana Eccleſia et locorum Ordinarij præſcripſerint.

37.

Ad frequentem uſum ſacramentorum Pœnitentiæ et Euchariſtiæ, populum fervidè adhortentur: neceſſitatem, vim, et affectus eorum explicando. Maximè verò in vigilent, ut ægroti ſacro viatico, et extrema unctione maturè proviſi, ex hac vita decedant.

38.

In prædicando Evangelio Chriſti, Solius Dei gloriam et animarum ſalutem ſpectantes, ab omni invectivarum genere, et acrimonia verborum in particulares perſonas abſtineant, neque hominibus, ſed Deo placere

cere Studeant. Unde et oſtentationem, et auditorum captui minus accommodatos conceptus fugiant: ea ſemper in medium proferentes, quæ pro diverſitate auditoris ſui, populum in veritate Chriſtiana, erudire, aut in moribus corrigere; vel in charitate, aliarumque virtutum Studio magis accendere apta ſint.

39.

In ſenſu ſimplicitatis, et veritatis Chriſtianæ abundantes Eccleſiæ Traditiones, & Sanctorum patrum doctrinam: præcipue verò ſacræ Scripturæ libros, Summè æſtiment, venerentur, et ſibi familiares reddant; quos non ex propria ſapientia interpretando, ad ſubtiles conceptus trahere, ſed ſimpliciter ita proponere ſtudeant, prout eſt utile ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, et ad erudiendum in Juſtitiâ, et prout ſancta Eccleſia, ſancti Patres, et Theologorum orthodonorum conſenſus ſanctè hactenus intellexit, et etiamnum intelligit.

40.

Dici vix potest quanti momenti sit, rudiores, et juniores doctrina Catechistica, de articulis fidei, et pietate Christiana assiduè instruere: ut rectè de Deo, et rebus Divinis, de Ecclesiâ, omnique doctrina Christiana sentiant: ut Sacramentorum vim & usum, præcepta Decalogi, et Ecclesiæ; modum orandi, & missam audiendi cum fructu: festa et solemnitates Ecclesiæ, aliaque quæ ad vitam Christiani hominis rectè ducendam necessaria sunt, juxta cujusque capacitatem perfectè intelligant. Hanc porrò doctrinam ex sacra scriptura, et sanctis Patribus, luculentissimo, atque ad hunc finem aptissimo compendio, in Catechismo jussu Concilij Tridentini edito traditam esse notum est, quem idcirco præ manibus semper habere debent.

41.

Animarum fructum plurimum promo-veri Sciant, si populus eorum curæ concreditus, sincera charitate foveatur. Hinc ægrotos sæpius invi-

 sant,

ſant, eiſque, cum opus erit, ad ultimam luctam, ex debito, ſalutaribus monitis aſſiſtant, et confortent. Pauperum verò, pupillorum, viduarum, aliorumque miſerabilium, et afflictarum perſonarum, ſingularem quandam curam habeant, earundem neceſſitatem, et miſeriam, quantum fieri poteſt, conſilio, opera, ſolatio Sublevando.

42.

Plura addi poſſent de cura animarum, quibus ſinguli dirigantur in tanto munere: quæ R. R. Epiſcoporum Authoritati relinquenda ſunt. Interim vero omnibus enixè commendamus, cum id fieri poteſt, frequenter habere colloquia ſeu conferentias, in quibus difficultates reſolvi poſſunt, et ea communi conſilio concludi, quæ ſingulis utilia eſſe videbuntur. Nihil tamen novi incipiant, vel mutent; verùm conſuetudinibus hac tenus laudabiliter obſervatis inſiſtant, et approbatæ Eccleſiæ Catholicæ praxi religiosè ad hæreant. Multa in hunc finem apprimè utilia

ex

ex Inſtructionibus Paſtoralibus S. Caroli Borromæi (quas omnes præ manibus habere convenit, depromi poſſunt. Si quæ verò hujuſmodi Inſtructiones a R. R. Epiſcopis ullo tempore editæ ſint, eas in magno pretio habebunt, et pro viribus obſervabunt.

CAPUT. VII.

De mutuo adjutorio et Fraterna aſſiſtentia.

43.

IS Spiritus eſt hujus Inſtituti, et præcipua virtus, ut tam in ſpiritualibus, quam in corporalibus neceſſitatibus, aliorum miſerijs diſcamus ſuccurrere, maximè autem fratrum. Quare ſi quis ſocius hujus Inſtituti aliquod gravamen corporis aut animæ patiatur, Superior talis diſtrictus, vel, in ejus defectu, proximus ſocius, tale levamen conabitur ſtatim adhibere, ut præſens ſolatium percipiat. afflictus.

44.

Si ægrotet graviter, eum Superior, vel ſaltem proximus ſocius ſi fieri poteſt, perſonaliter viſitet, et provideat, ut nihil corporis aut animæ ſaluti deſit. Si ſit periculum mortis, de fine ſuo eum ſalubriter in Domino admoneat, ut conſulat Conſcientiæ, per ſalutarem pœnitentiam, et diſponat de rebus per ordinatum teſtamentum, quod etiam omni tempore conditum apud ſe habere debebit, ut nihil dubium vel incertum relinquatur, unde lites inter propinquos ejus, et ſocios hujus Inſtituti oriri poſſint. Talem executorem teſtamenti conſtituat, quem ſocijs hujus Inſtituti juſtum & fidelem fore noverit. De bonis patrimonialibus diſponet prout ſibi videbitur: de Eccleſiaſticis vero diſponet juxta Conſtitutiones hujus Inſtituti, ad eos uſus, ad quos bona communitatis deſtinata ſunt, in manibus Superiorum. Superiores autem, vel ſocij ea bona recipientes nihil agant, quod vel minimam avaritiæ ſpeciem præ ſe ferre videatur.

videatur. Juxta constitutionem. 17. supra.

45.

Si quis frater incidat in gravem necessitatem, vel indigentiam, de morbo, incarceratione, persecutione malorum hominum, vel simili quacunque ex causa, proximus Superior illi Succurrere omnino tenebitur omni via, et modo meliore, quo potest si autem eleemosynæ, et collectiones, quæ ejus nomine fiunt in ea provincia minus sufficiunt ad sublevandum præsentem ejus necessitatem; hoc significabitur Nationali Instituti Præsidi, qui sine mora per literas significabit aliarum provinciarum Superioribus, ut contributiones charitativè fiant, et eleemosynæ colligantur, donec sufficienter provisum sit confratris istius necessitati.

46.

Si contingat aliquem fratrem residentia carere, vel alijs facultatibus, unde commodè sustentari possit, hoc significabitur Nationali Præsidi, qui per se & per alios non cessabit

allaborare, donec commoda reſidentiá ex R. R. Epiſcopi authoritate, aut patroni alicujus voluntate obtineri poſſit.

47.

Cum Communitas, quam inter nos intendimus ſtabilire, non ſit ſolum modò pecuniarum, ſed omnium etiam bonorum: omnia bona fratribus a fratribus debentur; ſive conſilia, ſive pecunia, ſive labores, ſive quodcunque aliud ſit, totum impendere debemus fratrum neceſſitatibus. Nec aliter præſenti Inſtituto, et officio noſtro ſatisfactum erit. Hæc ergo mutuorum officiorum, prompta exhibitio ſit vis præcipua et ligamen hujus ſocietatis.

48.

Quod ſi frater in Clero ſæculari, qui nondum hujus Inſtituti ſocius fuerit, ſive per ſenectutem, ſive per morbum, incarcerationem, vel aliam ob cauſam, ad anguſtias redactus ſit, ſuamque conditionem Superioribus hujus Inſtituti ſignificaverit; dicti Superiores omnia fraternæ charitatis officia

officia præſtare parati erunt, eumque quantum fieri poteſt, ex animo juvabunt. Erga omnes autem fratres Cleri ſæcularis nihil minuetur fraternæ charitatis, et benevolentiæ, ac mutui officij ex eo quod huic Inſtituto aggregati ſimus; quin potiùs arctiori eos charitatis vinculo ſemper, et ubique complectamur. Neceſſe enim eſt eos omnes, quorum una eademque eſt nobiſcum vitæ ratio, unum idemque in ſacris functionibus excercendis munus, animo officijſque arctiſſime conjungi.

49.

Quod de obedientia Reverendiſſimis Ordinarijs in his conſtitutionibus dictum eſt, durante hoc rerum ſtatu, de Reverendiſſimis Epiſcopis noſtris, et eorum ſucceſſoribus, juxta Conſtitutionem 28 ſupra intelligendum eſt: quibus eam obedientiam, quam Clerici ſæculares Reverendiſſimis Ordinarijs in ſuis Dioeceſibus exhibere tenentur, omnes et ſinguli hujus Inſtituti ſocij, eo ipſo quod huic Inſtituto nomen dederint, pro-

mittere cenſentur, et perpetuò præſtare debebunt omni exemptione ſeclusâ. Speciatim verò, cum omnes omninò in miſſione laborantes, *tam circa approbationem ad confeſſiones audiendas, quam circa concernentia curam animarum, et Sacramentorum adminiſtrationem, aliaque munia parochialia Reverendiſſimis Epiſcopis præſentibus et eorum ſucceſſioribus ſubjecti ſint:* curandum ſummo pere eſt, ut nemo munia prædicta exercere præſumat, donec approbationem neceſſarium a Reverendiſſimo Epiſcopo diſtrictus, in quo eam commorari contigerit, vel ab ejus Vicario Generali obtineat.

APPEN-

APPENDIX.

De cæteris regulis ad Inſtitutum neceſſarijs.

CAPUT. I.

De Superioribus.

50.

UNus erit Præſes Nationalis, qui Londini, ſi fieri poteſt, ſemper reſidebit, & unus Oeconomus generalis ibidem habitans, & tot Conſultores, quot pro noſtrarum rerum Circumſtantijs omni tempore commodum videbitur aſſumere. Interim donec creſcat numerus ſociorum hujus Inſtituti, omnis ſocius eo ordine, quo adſcribitur Inſtituto, erit conſultor, uſque ad decimum quintum incluſivè. In ſingulis etiam provincijs ſufficit unus Superior, qui et Præſidis et Oecomi Dioeceſani munus adminiſtrabit.

51.

51.

Præsidis Nationalis officium erit omnia tam spiritualia, quam temporalia hujus Instituti juxta Constitutiones factas gubernare, et regere, cui proinde omnes socij obedientiam præstare debebunt.

52.

Oeconomus autem rationes pecuniarias, et aliorum bonorum ad communitatem pertinentes, in libro clare & fideliter descriptas conservabit: et etiam rationes annuas Præsidis et omnium sociorum. Ejus muneris erit præcipuè emolumentum temporale communitatis procurare; ita tamen, ut nihil pecuniarum, vel aliarum rerum Communium erogare, elocare, vel administrare possit, sine expressa Præsidis et consultorum licentia: ad quos spectat omnia bona communia hujus societatis administrare juxta usus infra Scriptos Constitutione 60.

53.

Consultorum officium erit omnia negotia communitatis ex communi con-

consilio, et consultatione administrare. Ita ut Præses nihil momenti agere, statuere, vel ordinare possit, nisi ex eorum consilio: et si secus agere attentaverit, in validum & incassum erit.

54.

In omni consultatione unusquisque Consultor suo unico gaudebit suffragio, præses autem duplici. Omnis res quæ sub deliberatione cadet, exceptis infra excipiendis determinabitur per excessum suffragiorum.

55.

Consultores erunt duplicis generis: alij, qui ad hoc munus electi sunt a præside et alijs consultoribus: et hi suo munere fruentur, donec vixerint in hoc Instituto, ita tamen, ut si in alienationem mentis inciderint, gravem senectutem, vel in-firmitatem, vel propter longinquam distantiam commodè suffragium suum dare non possint, ab alijs Consultoribus suspendi possint ab excecutione muneris pro tempore.

56.

Secundi generis conſultores erunt ex officio, qui habebunt ſuffragium in concilio propter officium quod gerunt, et ita omnes Præſides Diocæſani et Oeconomus generalis durante officio erant conſultores: officio autem demiſſo non erunt amplius Conſultores, niſi ſpecialiter ad munus Conſultorum eligantur, vel ante officium, ad illud electi fuerint.

57.

Omnis res gravis momenti, quæ ſpectat ad totam Communitatem determinabitur per ſuffragia Conſultorum: ad quos ſpectabit electio Præſides nationalis. Præſes verò nationalis per eorundem ſuffragia eliget Præſides Dioeceſanos, et omnes alios ſuperiores. In odioſis materijs, ut in electione ſuperiorum, in admiſſione, et dimiſſione Sociorum, dabuntur ſuffragia per ſcrutinium, in alijs autem rebus viva voce.

58.

Præſes Nationalis et omnes alij Officiales et Superiores, (exceptis, ut ſupra,

ſupra, Conſultoribus) ad triennium tantum modo fruentur ſuo munerè, expleto, per communia ſuffragia, alij in eorum loca ſufficientur, vel ipſi de novo continuabuntur. Si Præſes Nationalis, vel alius Superior in ſuo munere, malè ſe geſſerit, alius in locum ejus ſuffici poterit etiam non expleto triennio.

59.

Præſides Diocæſani ſuos conſultores habere debebunt, qui de minoribus rebus Diocæſis deliberabunt ad modum et formam ſupra præſcriptam pro conſultoribus generalibus. Conſultores Diocæſani, eligentur a Præſide Diocæſano communibus Suffragijs ſociorum iſtius Provinciæ. Hi autem Conſultores Diocæſani nullum ſuffragium habebunt in Concilio generali, niſi aliundè ad id munus electi fuerint.

60.

Uſus præcipui ad quos, bona Communitatis a ſuperioribus impendi debent, ſunt: primò ad ſuſtentationem & ſolatium ſenum, debilium, et eorum,

rum, qui ſive morbo, ſive alia honeſta de cauſa laborare non valent. Secundò, ad ſuſtentationem eorum, qui cohabitant, et munia Parochialia excercent, præſertim inter pauperes, in ijs locis, ubi patronorum liberalitate ali non poſſunt: ut pauperes inde ſolatium non ſolum ſpirituale, ex pijs Sacerdotum laboribus, ſed etiam temporale ex eleemoſynis, percipere poſſint. Tertio, ad ſublevandam inopiam fratrum reſidentiam non habentium; aut qui in reſidentia degentes ſufficientia non habent, ad honeſtam ſuſtentationem. Quarto ad ſumptus publicos, in commercio literarum, in itineribus neceſſarijs, et conventionibus agendis. Denique ad quoſcunque pios uſus ſecundum leges Chriſtanæ charitatis, et ſacros Eccleſiæ Canones, prout ſuperioribus cum conſilio ſuorum, meliùs in Domino videbitur.

CAPUT.

CAPUT. II.

De admiſſione et dimiſſione ſociorum.

61.

SOcij hujus Inſtituti admittentur per ſubſcriptionem ſui nominis formulæ infra poſitæ. Nullus autem admittetur ſocius niſi ex Conſenſu Præſidis, et Conſultorum ſuffragijs: in quo caſu neceſſe erit, ut duæ tertiæ partes ſuffragiorum ſint pro admiſſione. Suffragia hujus modi ſemper dabuntur per ſcrutinium. Qui abſentes ſunt ſua ſuffragia mittent, vel committent in hac, vel alijs matterijs, quibuſcunque voluerint ex conſultoribus.

62.

Nullus ſocius in poſterum admittendus ſua ſponte reſilire poterit, niſi expleto biennio a ſua admiſſione, quo expleto niſi ſtatim receſſerit, ſocius perpetuus cenſendus eſt, nec ei liberum erit Inſtitutum, quod amplexus eſt omninò deſerere.

63.

63.

Quod si expleto biennio recedere voluerit, hanc voluntatem suam significabit Præsidi Nationali, qui debebit ei licentiam abeundi concedere suâ vel duorum consultorum manu signatam. Ante quam veniam in debita forma obtentam, nullus licite abire poterit. Priusquam autem hæc licentia concedatur, fiet computum fidele lucrorum et expensarum a tali socio recessuro factorum; et si expensæ vel eleemosynæ ejus gratiâ factæ, vel collectæ, quocunque tempore, superent lucra; pro illo excessu plenè satisfaciet talis socius ex suis pecunijs, nec aliter nisi satisfactione facta, concedatur ei dicta licentia abeundi, Quod si lucra a tali facta pro tempore, quo fuit socius, superent expensas ejus gratiâ factus, quod supereſt lucrorum, integrum relinquet in manibus Oeconomi disponendum juxta regulas hujus Instituti.

64.

Cum Superiores in Clero sæculari, etiam minorum Communitatum, ut

ut Collegiorum, et ſeminariorum, poteſtate Oeconomica eos dimittere poſſint quos ad domeſticam diſciplinam inidoneos repererint: æquum eſt hanc poteſtatem Superioribus hujus Inſtituti competere. Si quis ergo in hoc Inſtitutum admiſſus ſit, et poſtea ſive propter mores, inobedientiam, ſive aliam ob cauſam idoneus non reperiatur: Authoritate Præſidis, et Conſultorum ſuffragijs dimitti poterit. Non tenebuntur tamen Præſes aut Conſultores cauſam illam manifeſtare, ſed id fiet per exceſſum ſuffragiorum. Dimiſſus verò habebit jus ad omnia lucra, quæ fecit, dum fuit ſocius; detractis tamen expenſis, quæ ejus gratiâ factæ ſunt a communitate, vel quocunque ejus ſocio, et eleemoſynis, quæ ejus gratiâ ullo tempore collectæ ſunt, et ab eo conſumptæ. Sin autem expenſæ ejus dum fuit ſocius majores fuerint, quam lucra, nihil tenebitur reſtituere, pro illo exceſſu expenſarum.

65.

Si cuipiam ex Reverendiſſimis Epiſcopis hoc Inſtitutum amplecti viſum fuerit, nulli Superiori, hujus Inſtituti in ulla omnino re ſubjici debebit propter reverentiam ſtatus: Sed ſupremam in ſuo territorio Authoritatem in rebus omnibus ad Inſtitutum pertinentibus juxta Conſtitutiones factas adminiſtrandis, ſibi perpetuò, quam diu in Inſtituto permanſerit, tanquam Præſidi totius Territorij, inhærentem habebit. Rationes ſuas non per ſe, ſed per Oecomum ſuum conſervabit. Præſides et omnes Superiores in eodem territorio illi, ut Præſidi ſuo ſubjecti erunt. Illis tamen licebit rationes ſuas, & ſociorum ſuorum Præſidi Nationali reddere, conventus agere, & cætera exequi, ex conſenſu Reverendiſſimi Epiſcopi ſui, quæ ab alijs juxta has Conſtitutiones fieri debent, et quæ neceſſaria videbuntur ad conſervandum commune hujus ſocietatis vinculum. Ipſe verò Reverendiſſimus Epiſcopus omnes conſtitutiones

omes Instituti Statum suum decentes, ad exemplum piè et fideliter observabit.

66.

Quod si Præses Nationalis in eo Territorio existat, in quo Reverendissimus Episcopus membrum est, et caput Instituti: dictus Præses Reverendissimo Episcopo, juxta constitutionem præcedentem in omnibus rebus ad Institutum in tali territorio pertinentibus, ut Præsidi subditus esse debet. Authoritatem tamen suam erga omnes alios Superiores et socios, sive in eodem territorio, sive extra territorium degentes, juxta has constitutiones liberè exercebit.

67.

Denique cum hæ Constitutiones communi consilio ac deliberatione, ex impressis constitutionibus. S. Sede Apostolica approbatis; non nullis præterea adjectis ad statum rerum nostrarum necessarijs; consultis etiam Reverendissimis Episcopis, summâ diligentiâ collectæ sint, atque

ad

ad ſtatum noſtrum accommodatæ: Et cum experientia compertum ſit alias leges, rebus ſemel bene conſtitutis, novam obligationem imponentes, Subditis etiam bonis quandoque graves oneroſaſque videri; ac pacem communitatis inde non raro turbari: viſum eſt ſtatuere, ſocios hujus Inſtituti his ſolum modo conſtitutionibus teneri, neque alias ijs poſthac imponendas eſſe, novam obligationem inducentes. Si qua vero difficultas oriatur circa ſenſum harum Conſtitutionum, vel applicationem ad praxim in quocunque caſu: illa difficultas juxta prædictas conſtitutiones impreſſas, ita terminabitur, ut talis interprætatio, vel uſus non excedat obligationem in his conſtitutionibus expreſſam, nec novum onus inducat: ut ſocij omnes charitate potiùs, quam authoritate regi ſe ſentiant; atque inde alacrius ſuum munus exequantur. Neque erit in poteſtate Præſidis Nationalis aut aliorum Superiorum novam Conſtitutionem ſtrictiorum obligationem inducen-

centum ſtabilire, niſi ex unanimi conſenſu omnium. Unde ſi vel unus Superior cum ſuo Concilio, vel media parte conſultorum ſuorum, contra talem Conſtitutionem ſuffragium dederit, hoc ipſo invalida & irrita ſit.

Formula

Formula ſubſcribenda pro admiſſione Sociorum.

EGO N. N. Socius communitatis Clericorum in Communi viventium ſanctè promitto Præſidi, et reliquis ſocijs illius Inſtituti, me fideliter obſervaturum quatuor puncta, vel capita ejus principalia, viz. obſervabo Communitatem Eccleſiaſticorum bonorum: Præſtabo obedientiam Reverendiſſimis D.D. Epiſcopis, et cæteris Superioribus juxta tenorem harum conſtitutionum Cap. 2. & 5. talem cohabitationem fraternam, et ſeparatam a mulieribus habitationem obſervabo, quam Superiores hujus Inſtituti, quocunque tempore judicabunt obſervandum. Inſuper firmiter mecum ſtatuo et propono cæteras omnes regulas et conſtitutiones me obſervaturum. In cujus promiſſi teſtimonium et confirmationem meum nomen, mea manu ſubſcripſi huic formulæ die. Menſis. Anni.

FINIS.